Lane Medical Library

DE

PLACENTAE RETARDATIONE ET METRORRHAGIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS WALZ

BADENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. CAHEN, med. et chir. Dr.

B. BRAUBACH, med. et chir. Dr.

H. KIRCHNER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0086

VIRO

CELEBERRIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ROBERTO FRORIEP,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA, NEC NON IN ACADEMIA ARTIUM, MUSEI ANATOMICO-PATHOLOGICI IN CARITATIS NOSOCOMIO BEROLINENSI PROSECTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA EQUITI, ETC.

HASCE

PAGELLAS

GRATI ANIMI TESTIMONIUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum mihi hanc rem tractandam deligerem, minime fore sperabam, ut difficultates in hac re explicanda superarem et nodulum solverem; sed tantummodo in animo habebam, indolem et naturam indicationum investigare atque remediorum et internorum et externorum indicationes statuere, quae sana ratio et efficax ars postulant. Sed liceat mihi hoc loco judicio lectoris benevoli aliquid proponere, quod ex observatione multiplici mihi redundabat, nimirum novum graviditatis signum. Cum ego, munere fungens assistentis in Illustrissimi Nasse clinico-medico, amore quodam praecipuo morbos mulierum tractarem, mihi amplus observandi campus oblatus est, in quo non parum rara magni patientium numeri fiducia adjuvabar.

Mihi non erat ignotum, ad inveniendam altius sitam inflammationem bibulam chartam in aquam immersam crebro adhiberi, quae in superficiei loco inflammationi puta-

tivae respondente imposita, celerius siccescens inflammationem altius sitam adesse demonstrat. Quod experimentum a morbo in normalem mensium decursum transtuli, ab hoc principio proficiscens, in organo adaucta vi vitali simul quoque calorem esse adauctum.

Quotiescunque igitur vel puella vel mulier mihi dicebat, periodum suam accedere, bibulam chartam in aquam immersam ad abdomen agglutinabam, eo ambitu, ut ista abdomen inde a tribus pollicibus supra umbilicum usque ad montem Veneris contegeret, et diligenter attendebam, qui loci primum siccescerent. Hoc experimentum ab uno ante periodum die usque ad ejus decursum quotidie pluries repetebam. Semper illos locos primum siccatos reperi, quibus in profundo situs ovariorum atque uteri respondet.

Jam si, testante persona, in qua experimentum continuabatur, graviditas consecuta esse poterat, eademque ex aliis quoque rebus probabilis erat, eo tempore, quo periodus erat reditura, chartam bibulam denuo agglutinabam.

Tum haec in iis locis, ubi antehac celerius siccescebat, non citius exsiccabatur quam ibi, ubi modo intestina subjacent. Siccatio tantum aliquantulo celerior cerni poterat, si graviditas tantummodo brevi ante hoc temporis momentum consecuta erat, quo menses redire solebant.

Iste autem locus, qui situi uteri respondet, manifesto citius siccescebat, quam in mensibus.

Ubi in morbis nexu consensuali menses cessabant, et periodi tempore alias consueto, celerior siccatio non fiebat, saepius in decursu curae et hac sanati morbi ex caloris reditu in illis locis per experimentum meum apparente de optato mensium reditu concludere poteram.

Hoc signum, si quidem plures observatione dignum habeant, certi quiddam suppeditaturum esse, mihi est persuasissimum. Experimentum est simplex, strepitu caret, quovis momento et ubique institui potest, ac feminarum pudicitiam minus offendit, quam multa alia.

Quae hucusque observavi, persequar, eaque, quae diligenter collegi, in posterum augebo.

Retardatio placentae est illa quintae periodi partus abnormitas, ubi placenta aut sejuncta in utero remanet, aut ab parietibus uteri non sejungitur.

Duo igitur sunt genera:

1) Placenta separata in utero residet. Novimus has causas:

a. Atoniam uteri.
b. Obliquitatem.
c. Prolapsum.
d. Hypertrophiam aut degenerationem placentae, qua quidem conditione comprimi nequeat.
e. Nimis firmam tunicarum adhaesionem ad uterum.
f. Magnam sanguinis coagulati copiam in vagina.
g. Metritidem.
h. Spasmum uterinum.

2) Placenta non separatur vel non decidit. Hoc quidem genus proprie solum nomine retardatae placentae insigniendum est.

Causae sunt:

a. Adynamia naturae partum molientis.
b. Totalis debilitas.
c. Partialis vis parturiendi, bene distinguenda ab spasmo.
d. Totalis aut partialis adhaesio firmior, quam nominamus concretionem placentae cum utero.

Quae sequuntur, partim causae, partim complicationes sunt:

e. Metrorrhagia.

f. Metritis.

g. Spasmus uteri in tribus generibus.

h. Prolapsus uteri.

i. Paralysis ejusdem.

k. Inversio.

l. Eclampsia.

m. Morbi et degenerationes placentae, de quibus quidem pauca tantummodo adhuc cognita habemus.

Ad a. Hanc causam invenimus in feminis admodum et juvenilibus et aetate provectis, in muliebribus infirmis, in torpidis, in partubus, quos ars potius quam natura ad finem perducere debet, si adynamia in prioribus partus periodis adfuerat, in utero degenerato, in scirrho, carcinomate, in feminis, quarum priore tempore partes genitales irregulariter fungebantur.

Diagnosis. Dolores post partum desunt. Uterus adhuc in pelvi majore. Orificium uteri in altum elevatum, parcus aut plerumque prorsus nullus sanguinis fluxus.

Indicatio. Provoces vim parturiendi eo, quod siccis, calidis linteis abdomen et uterum fricas, clysmata irritantia adhibes. Sin autem dolores non exoriuntur, internis et quidem dynamicis remediis utaris.

Hoc quidem loco nonnulla de abnormi naturae vi in partu verba apponere volo. Sit mihi venia tua, lector benevole.

Triplex obvia est:

1) Hyperdynamia.
2) Adynamia.
3) Dysdynamia.

1) Hyperdynamia duplicis potest esse indolis: aut dolores nimis cito sese excipiunt, aut justo longius persistunt. Causa primae speciei in systemate nervoso inveniri possit, secundae in fibris muscularibus aut in vi uteri contractoria; quae distinctio praecipue quod attinet praxin respicienda est.

Sequelae.

Partus praecipitatus, foetus lapsus in solum, abscissio funiculi umbilicalis, praematura placentae separatio, inversio, ruptiones orificii uterini, partium genitalium externarum, haemorrhagia, paralysis, syncopae; mors matris, mors foetus citiore ex foetali vitae ratione ad pulmonalem transitu adducta.

Cura.

Omnino quies et corporis et animi, situs horizontalis, frigida aëris temperies. Cavendum, ne dolores proprio parturientis labore augeantur. In prima specie adhibeas minora narcotica, Belladonnam ipsam, si res postulet; in secunda potus temperantes, parvas venaesectiones, acida mineralia. In neutra specie uterus tangatur, aut epithemata applicentur.

Sunt, qui ante orificium uterinum prorsus apertum et dilatatum tunicas discindendas suadeant. Haec verum ratio magnopere nocet, quum aqua remota foetus parietibus uteri magis appropinquet, ejusque vim eo magis in-

citet. Orificium nondum apertum rumpi et uterus prolabi potest. Aeque dissuaserim pressu ad partes genitales externas adhibito fructum procedentem inhibendum. Mulieres ingenti anxietate vexantur et affliguntur.

Simulatque orificium se aperit, externe fricare uterum et figere debes, ut se contrahat, contractus remaneat.

2) Adynamia.

Hujus quoque duae sunt species: aut dolores justo rariores sunt, aut debiliores. Aut individualitate parturientis adynamiae causa constituitur, aut ista reflexus totius organismi est, aut in peculiari vertitur uteri indole, quasi non dependens ab individualitate generali.

Primam causam invenis in juvenilibus et admodum senilibus primiparis, in torpidis, in muliebribus graviores morbos prius aut in graviditate perpessis, post haemorrhagias aut valde debilitantes evacuationes, animi motus deprimentes.

Adynamia, quando per quatuor primas partus periodos adfuerat, per quintam quoque perstat.

Cura.

Si Adynamia reflexus totius organismi existit, prorsus alia est cura, quam ubi mera habitus uteri illa sequela est. Hic remediis specificis utaris, de quibus postea; illic nulla admittas specifica, certe non sola, sed fricetur uterus manu plana, deturque vinum, jusculum carneum cum ovo, coffea et roborantia remedia, quae lubenter ex adstringentibus eliguntur: cortex salicis, quercus, chinae, cimarubae, ratanhiae, adjunctis idoneis nonnullis remediis excitantibus, ut inprimis aqua et Tinct. cinnamomi.

Multi conjungunt cum hisce roborantibus nonnulla specifica, de quibus postea disseremus: boracem, secale cornutum, alumen.

Illa roborantia in adynamia cuique partus periodo conveniunt. In duabus primis fere semper nihil fit, quamquam in secunda praesertim illa remedia revera indicata sunt, ne vis naturae prorsus exhauriatur et exstinguatur. In tertia autem periodo d'Outrepont forcipem applicari vult, simulac vis naturae exstincta videatur, quod quidem et spatio et decursu primae periodi facile dijudicari potest.

Eo mortem fructus arcemus et uteri paralysin. Hanc virium exhaustionem invenimus in muliebribus arctiore pelvi, foetibus majoribus, rigido orificio uterino et vagina rigida praeditis.

Ubi autem vis naturae nondum sublata est, forcipem quidem applicare licet, si per tres horas remedia interna adhibueris.

Caveas ne abdomen remediis aethereis conspergatur, ne orificium uterinum ad dolores excitandos titilletur, ne mulieres obambulent, aut lectulum relinquant, denique ne nimis longe remediis internis confidas. Cura prorsus alia est, adynamia ex proprio quodam uteri habitu profecta. Physiologia nobis demonstrat et comprobat, ipsas partes genitales ab individualitate sese magis removere quam cetera organa; qua re illarum morbi chronici longius persistunt, organismo quidem non nocentes, exempli gratia Atrophia, Hypertrophia, Induratio, Scirrhus, Carcinoma, Hydrops. Pariter res se habet ratione dynamica. Videmus feminas vel robustissimas et bene nutritas magna in partu adynamia affici, feminas quidem antehac abnormem partium genitalium functionem passas, veluti

nimis largo aut nimis parco menstruo; quae veneri nimium indulserunt, saepius abortum fecerunt, aut partu bene peracto malignum puerperium perpessae sunt; mulieres effeminatas, hystericas.

Hoc loco specifica maximi sunt momenti, tonicis nihil valentibus.

Specifica sunt:

Borax, per horam grana vj, aptus omnibus partus periodis, ad quamque constitutionem et temperamentum. Quamobrem illi obstetricatores imprimis eo utuntur, qui secale cornutum timent.

Si grana XVI—XL dedisti nec vis parturiendi augescit, hoc relinquas remedium, aut forcipem applicaturus aut alia remedia adhibiturus. In quinta periodo, ubi placenta ob atoniam remanet, ne nimis longe hisce remediis confidas, maximeque quum quodque temporis momentum pluris sit aestimandum quam in quatuor periodis primis. — Saepius borax cum secali cornuto datur aut cum cinnamomo, ubi quidem, quid inprimis efficax fuerit, prorsus nescimus.

Cinnamomum.

Pulvis, Tinctura, Aqua et Oleum valde aestimantur, sed non in quamque constitutionem omnesque personas quadrant; prosunt quidem his, quae ad plethoram, congestiones, inflammationes inclinant, ceterum quaque partus periodo, praecipue autem quinta, ubi placenta retardata cum metrorrhagia conjunta est. Aqua cin. est forma mitissima, duo cochlearia omni horae quadrante, si adynamia non ita gravis est.

Pulvis, gr. jjj hora quaque dimidia, efficacior, sed saepissime, si doses citius sese sequuntur, vomitum efficit, quo minus agit.

Tinctura inter omnes forma gravissima et optima, praesertim quum citiorem in uterum actionem et influxum exoptamus, maxime periodo quinta, quando metrorrhagiae aut sine aut cum placenta retardata adsunt.

In prima et secunda periodo non datur, quum citiorem influxum nolimus, neque feminis plethoricis et robustioribus.

Alumen. Serum potissimum tardius agit; major dosis ventriculo nocet; congruum modo est chronicis amenorrhoeae, dysmenorrhoeae, fluori albo, sed non parturientibus.

Ratanhia, baccae lauri, coloquint., sabina, resina Jalapae, extr. aloës, extr. rhei magnopere in uterum agunt, sed nocent in partu, quia orgasmo et congestionibus favent.

Secale cornutum.

Multum inter se auctores dissentiunt et de forma, et de dosibus, et individualitate et temporibus, ubi illud remedium impendendum sit. Summum et validissimum est remedium ad juvandum et accelerandum partum, certo autem tantummodo efficax, vi naturae jam ingressa; neque ad dolores primitus excitandos valet.

Forma et doses. Pulv. gr. jjj—xxx—XL pro dosi. Mirum sane est, quanta in dosibus constituendis differentia sententiarum inter medicos intercedat. D'Outrepont in quatuor primis partus periodis modo gr. vj — vjjj administrat, ut effectum moderetur, quoniam hujus remedii magna dosis

non solum hyperdynamiam producere, sed etiam narcotice in matrem foetumque agere queat.

Pulvis inter omnes formas multo efficacissimus. Secale cornutum in vasis conservari debet bene clausis, quippe omni vi privatur, quando aëri exponitur; parum modo valet, locis et temporibus humidis collectum aut jam per annum conservatum. Quibus quidem conditionibus istam dosium differentiam licet explicare.

Illa dosis, de qua supra diximus, quatuor primis partus periodis prodest; quinta vero, praesertim haemorrhagiis juncta, nimis tarde agit. Potius tincturae cinnamomi confidas.

Secale cornutum constitutionibus et temperamentis cujusque generis commodum est, exceptis sensibilibus, ob narcosin; praecipue illis feminis, quarum adynamia non ex toto organismo pendet; in tertia potissimum et quarta periodo praescribitur.

Hoc remedium duplicem effectum secundarium habet, quem verisimile est ab pulvere dependere, non ab infuso neque ab tinctura.

Narcosin enim excitat, foetum necat, matre ipsa narcosin saepius nullo modo sentiente. Quo major dosis, eo citior narcosis. Verum secali cornuto interdum etiam hyperdynamia gignitur, foetui non minus noxia, quam pulveris minores doses tribuendo, evitare potes. Quum hyperdynamia, si secale cornutum in prima et secunda periodo damus, facile efficere possit, ut in orificio et in vagina rhptiones nascantur, complures medici illud modo in tertia et quarta partus periodo praescribendum suadent.

Infusum, ʒjj — ʒjv, tardius, incertius, sed minus narcotice agens, raro adhibetur.

Tinctura, quaque dimidia hora gutt. x, violens nec feminis plethoricis apta, modo in illis casibus adhibenda, in quibus Tinct. cinnamomi ordinare licet. Melius autem eam conservare potes et tecum ubique portare; minus quam pulvis excitat narcosin. Ceterum sunt individua, in quibus sec. corn. prorsus nullam vim habet. D'Outrepont, XL — L granis pulveris per tres horas frustra impensis, partum aut forcipe aut versione ad finem duci vult.

3) Dysdynamia.

Causae:

a) Spasmus. Dignosci potest, quum abdomen et in singulis doloribus et eorum intervallis dolet. Partus non progreditur; cutis frigida, pulsus parvus, durus, inquies magna. Vomitus saepius accedit.

b) Rheumatismus. Dolores summopere dolorifici, abdomen tactu valde dolens, vagina sicca, dolor usque ad crura et brachia tendit.

c) Inflammatio. Dolores acerbissimos reddens, foetui perniciosa. Partus vel parum vel plane non procedit.

d) Irritabilitas adaucta. Dolores ita cruciantes, ut mulieres continue exclament, manibus pedibusque feriant et pulsent, radant, et sui impotes tamquam scelerati atque vesani agant, saepius infanticidae fiant.

e) Degenerationes uteri. Scirrhus, carcinoma, steatoma, sarcoma, induratio, hydrops. Dolores breves, inaequales, vi egentes.

Cura.

a) Remedia spasmum sedantia, inprimis unguentum Chaustieri, vapores, epithemata et clysmata narcotica, interne belladonna, opium, hyoscyamus, aqua laurocerasi secundum personae constitutionem. Patientia.

b) Opium cum ipecacuanha, si rheumatismus cum spasmo, aut cum indole synochali conjunctus est, venaesectiones.

c) Antiphlogosis stricta et pertinax.

d) Acida mineralia cum opio alternantia.

e) Secale cornutum et brevi tempore post auxilium mechanicum. Illis remediis, de quibus modo diximus, adversus placentam ex adynamia retardatam per quinque vel sex horas frustra adhibitis, separes et removeas placentam. Non omnes quidem autores huic principio assentiuntur, sed in duo castra dividuntur. Proponamus primum sententiam ejus partis, quam vocamus passivam.

Timet illa:

a) Metritidem, quae quidem accidere potest, at non necessario; tum facilius debellari et curari potest, quam conjunctione inter uterum et placentam intercedente, etenim placenta non separata in utero putrefit, quo metritis putrida exoriatur, multo haec quidem periculosior quam illa operatione quadam producta.

b) Haemorrhagiam, quam evenire non est necesse. Ipsum irritamentum traumaticum in operatione non evitandum optimum esse ad contractiones uteri excitandas remedium mox audiemus.

Experientia hoc, quod contra dicunt, refellit.

c) Contra dicunt, operationem non semper in-

stitui posse. Profecto quae quis non callet, haec mittit; impossibilitas ista non solum ab adynamia, de qua hoc loco sermo est, sed etiam ab strictiore placentae cum utero conjunctione aut a spasmo pendet; quae quidem duae sunt species peculiares, de quibus deinceps.

d) Metuunt inversionem. Revera haec enasci potest, sed quum diagnosis parum facessat difficultatis, repositio uteri inversi statim institui potest. Uterus vero inverti nequit, nisi adynamia cum nimia adhaesione juncta est.

Pars activa opponit, placenta relicta plerumque inflammationem nasci debere malignam. Suo sane jure timet, ne placenta relicta et putrefacta resorbeatur, febrisque putrida exoriatur.

Enarrant nobis exempla, placentam per partes separatam et expulsam esse, matre nullum capiente detrimentum. Quod quidem d'Outrepont accidere posse non negat; sed in hisce casibus placentam jam separatam fuisse, et tantummodo in contactu, neque vero in conjunctione cum utero stetisse contendit. Erat illa placentae retardatio ordinis primi. Accedit, quod experientia, nominatim statisticae tabulae, inprimis Borussicae ac Wurtembergicae, commoda et virtutes comprobant, quibus methodus activa praestat.

II. Genus. II. Species. Debilitas vel infirmitas. Prognosis melior, cura fere eadem, nisi quod remedia dynamica plerumque sufficiant, ad vim naturae ita adaugendam, ut placenta decidat.

III. Species. Vis parturiendi partialis bene distinguenda est ab spasmo. Modo in singulis partibus

contractiones adsunt, eae quidem periodicae et intermittentes. At spasmos in intervallis, quae inter dolores intersunt, persistere mox videbimus; contractiones partiales partum modo parum adjuvant, spasticae adeo impediunt.

Cura. Plana manu fricandum. Sunt, qui secale cornutum proposuerint, quo contractiones mox in toto organo exoriri dicunt.

IV. Species. Concretio aut firmior adhaesio evenit aut metritide aut placentitide aut inflammatione tunicae deciduae Hunteri, quae ut lympha plastica inter uterum et placentam effundatur, efficit. Sola metritis dignoscitur; at placentitis non conjuncta cum metritide aeque ac decidua Hunteri inflammata dignosci fere numquam potest. Adhaesio interdum tam valida est, ut tendinosa jure nominari queat.

Diagnosis.

Superquam parturiens fortibus laborat doloribus post partum, tamen placenta, adhaesione totali, non separatur; adhaesione autem tantummodo partiali, sanguinis fluxus consequitur, et modo aliqua pars placentae separatur. De hoc sanguinis fluxu, tamquam propria specie, postea loquemur.

Cura. Manu placentam sejungimus. Hoc modo sane inversio fieri potest praesertim, quum nimis attrahantur cotyledones placentae saepius magis cum utero concretae, quam inter se connexae. Uterum autem inversum reponere licet, et multo minus uterus placenta partiatim separanda quam relicta offenditur.

Sunt casus, ubi singulae cotyledones tantopere alienatae et sic cum utero conjunctae sint, ut placenta separari nequeat. At omnibus morbis mederi non licet semperque magnum est detrimentum, si istam separare non possumus; quod quidem accidit, deformatione ossea et lapidea intercedente. In praxi, priusquam separemus, plerumque longius exspectamus, quia speramus fore, ut dolores perdurantes longius adjuturi sint.

Utero autem ex frustraneo labore et opera perdita inflammato, exitus operationis dubiosus est, id quod saepius accidere solet, si auxilio advocamur.

V. Species. Metrorrhagia, causa et complicatio, plerumque bonam praebet prognosin, ope justo tempore lata.

Causa. Partialis placentae sejunctio.

Indicatio. Contractiones uteri efficias, quibus placenta prorsus separetur et uterus se rite contrahere queat.

Cura. Remedia externe applicanda. Plana manu fricandum; epithemata frigida ex glacie aut nive. Minus valent: 1) aspersiones abdominis alcohole, aethere, quippe quae nimis vehementer systema nervosum exagitent perturbentque et paralyseos fundamenta jaciant.

2) Injectiones frigidae in uterum; nimis agunt, metritidem cum exitu malo secum ducunt, quin imo paralysin. Quapropter non sunt usitatae; salubrem earum effectum epithematis consequimur frigidis.

3) Injectiones aquae frigidae per funiculum umbilicalem, auctore Mojon; difficiles, incertae, quibus tempus ad remedia meliora impendenda idoneum perdimus; denique eodem sunt, quo injectiones frigidae, incommodo.

4) Frictiones internae uteri superficiei manu compressa introducta, plus valent in metrorrhagia, placenta separata et expulsa.

5) Compressio aortae abdominalis eo non prodest, quod sanguinem ad uterum progredientem inhibeat, compressio enim perpetua esse non potest, tum ob magnam ejus applicandae difficultatem, tum ob graves sequelas talis operationis.

Si per hanc compressionem uterus sese non contraxit, haemorrhagia denuo redit. Eadem compressio eo tantummodo aliquantulum profert utilitatis, quod utero tantum temporis reddit, quantum opus est ad contrahendum.

Remedia interne adhibenda.

Acida: acidum phosphoricum (℥j—℥jv), acidum sulphuricum dilutum (℈j—℥jv) modo apta sunt, quamdiu orgasmus et erethismus in systemate vasculoso insunt et neque syncopae neque extremitates frigidae exstant. Ceterum praestat Tinct. cinnamom.; inter omnia remedia eam novimus certissimam et efficacissimam.

Ratanhia, sec. corn., borax, alumen, ferrum et ejus salia ibi nimis tarde agunt, ubi periculum in mora.

Quibus remediis et internis et externis brevi tempore nil juvantibus, placentam sejungere debes, quod quidem remedium praestantissimum est.

Quamquam pars passiva, operationem tum demum esse instituendam, si singulae placentae partes jam separatae sint, et metrorrhagiam tota placenta adhaerente operationem exhibere contendit, tamen nostris diebus nullam nisi singulis placentae partibus sejunctis posse exoriri metrorrhagiam arbitramur. Quamdiu in remediis ad-

hibendis confidentiam habere liceat, inter medicos nondum constat. D'Outrepont illa brevi tempore relinquit; illis enim nullam vim habentibus, metrorrhagia persistit, ideoque operationem instituendam censet suadetque, postquam complura epithemata frigida imposuerit vel nonnullas acidi sulphurici et Tinct. cinnamomi doses dederit.

VI. Species.

Metritis ex prioribus partus periodis in quintam transiisse potest, aut operatione antea neglecta vel nimis fortibus frictionibus vel nimiis Tinct. cinnamomi dosibus efficitur.

Prognosis in utroque casu mala, quia manus immittenda in organo inflammato pro temporis momento inflammationem adauget. Operatione omissa, femina certo vita defungitur; si instituis illam, potest inflammatio augescere sed facilius curari.

Tales casus medicis in praxi maximam parant crucem, quia saepe justo serius adsciscuntur, postquam aut magnis Tinct. cinnamomi dosibus, aut operatione neglecta in utero inflammatio exorta est. Frequentissime ruri illi casus usu veniunt.

VII. Species.

Spasmus in duplici forma summam parat periculum. Aut per totum uterum diffusus est, et hic durus, parvus, globosus, valde dolet, orificio uterino occluso, neque ulla metrorrhagia praesente; aut orificium uterinum solum contractum est, in altum elatum, fundo corporeque adhuc versante in pelvi majore, sed molle, vel cum vel sine magna metrorrhagia.

In casu priore placenta ex parte est sejuncta, aut uterus in medio contractus;

a) in medio secundum latitudinem,

b) in medio secundum longitudinem, et vel hic potest metrorrhagia locum habere.

Ubi medium uteri ab una ad alteram partem contractum est, hic in duos saccos divisus, horologii instar arenarii; saccus superior inter locum est contractum et orificium uterinum. Appellatur haec conditio secundinarum incarceratio, perfecta quidem, quando placenta tota adhuc in sacco superiore est, imperfecta, quando jam pars in loco est contracto.

Guilelmus Schmidt et Schwarz Fuldensis secundam speciem contractionum contractionem corporis uteri spasticam ponunt, ubi fibrae longitudinales a fundo usque ad orificium uteri ex parte una contractae sunt; hic quoque metrorrhagia potest adesse.

Prognosis pessima, praesertim metrorrhagia intercedente, nil nisi promtus paratusque obstetricantis animus decernit.

Indicatio. Tollatur spasmus unguento belladonnae, epithematis narcoticis, narcoticis et injectionibus et clysmatibus, interne belladonna et opio, et ubi sanguinis profluvium non exstat, vaporibus narcoticis. — Paullisper exspectes, cum sanguis non profluit, uti exempli gratia in specie priore. Cum spasmus adhuc synochalem vel erethicum characterem habet, venaesectiones instituendae sunt. Frigida epithemata, in metrorrhagia alias bona, modo nocent.

Si contingit, ut spasmum removeamus, neque statim placenta solvitur, solutio fiat; ubi spasmum tollere non

possumus, vi in locum contractum penetremus et placentam sejungamus. Quod cum succedit, mulier est servata, sin minus, perdita.

In praxi ab difficultatibus haud exiguis terreri nos patimur, ac dolore vehementi, ac nil agentes mulierem obire sinimus.

Ex quo tempore d'Outrepont una cum plerisque obstetricatoribus recentioribus illud principium sequebatur, successu laeto gaudebat; vel quinque diebus post partum solutionem fecit artificialem.

VIII. Species. Prolapsus. Raro periculosus.

Indicatio. Reponas celeriter, cum placenta adhuc cum utero juncta est; repositio ante solutionem fieri nequit, quare haec illico instituatur.

IX. Species. Paralysis. Hic convenit illud: noli me tangere. Cum placentam sejungis, protinus femina animam efflat; ubi istam relinquis, paullo serius moritur.

Causa. Partus diuturnus ob impedimenta mechanica, veluti locales conditiones impares inter caput et pelvim, situm transversum, concretionem orificii uterini, vehementiores animi affectus.

Symptomata. Dolor nullus, valetudinis sensus gratissimus; uterus amplus, languidus, in pelvi majore, vix ab intestinis discernendus. Orificium uterinum alte prominens, languidum, apertum, vagina et partes genitales externae gelidae. Discessus fluidi sanguinolenti, foetidi, cutis gelida, mollis, humida; debilitas universalis.

Temporibus superioribus, quibus auxilium artificiale magnopere negligebatur, deficientibus obstetricatoribus, haec species frequentior exstitit, quam hodie.

X. Species. Inversio est illa dislocatio, ubi in-

terior uteri superficies per os uterinum, vaginam et partes genitales externas procedit; perfecta est, quando fundus extra partes genitales progreditur, imperfecta, quando modo per os uterinum in vaginam prolabitur.

Causae. Partus praecox in firmiore concretione placentae, funiculi umbilicalis nimia attractio, priusquam placenta soluta est, defectus, brevitas vel contortio brevioris funiculi umbilicalis.

Indicatio. Reponatur celeriter uterus inversus. Hoc autem firi nequit. quamdiu placenta nondum est soluta. Itaque haec separetur, quod facillime fieri potest.

XI. Species. Eclampsia aut adest in prioribus partus periodis atque partus causa exstitit remota; partu per forcipem finito si eclampsia non desistit, placenta est solvenda, quia tum facillime uteri spasmus accedere potest.

XII. Species. Degeneratio et morbi placentae. Sunt quidem permulti, sed perpauca modo hucusque cognita habemus de iis, tamquam causis secundinarum retardationis.

Quae hucusque dicta sunt, haec ad maturum potius quam ad immaturum partum spectant; maxime in tribus speciebus primis secundi ordinis retardationis secundinarum per longe majus tempus remediis dynamicis confidere licet.

DE METRORRHAGIA.

Metrorrhagia gravidarum, parturientium, puerperarum.

I) Prima bene ab redeuntibus mensibus intra graviditatem dignoscenda est; nonnulli volunt, menses intra totam graviditatem quarta quaque hebdomade reverti posse. — Distinguuntur a sanguinis profluviis non solum

certis periodis et reditu hoc ipso tempore, quo antehac regulariter intrabant; sed eo quoque, quod nulla causa intercedente incedunt, gravidaque in iis optime se habet. d'Outrepont hos menses non conspexit, sed modo sanguinis profluvia periodica reperit, et catamenia in gravidis primis modo mensibus, continuata ut verisimile, quia his mensibus ovum nondum in uterum pervenit.

Propria metrorrhagia intra graviditatem nascitur:

a) partiali vel totali ovi solutione ab utero intra tres menses primos, aut placenta in proximis mensibus ab utero soluta.

Causae sunt: ictus, verbera, pressiones in uterum, coïtus frequentior, pedisaria, uteri inversio, prolapsus, degeneratio ejus in scirrhum, carcinoma, vehementes corporis motiones, saltatio, saltus, cursus, equitatio, abusus spirituosorum, animi affectus, pertussis convulsiva, vehemens sternutatio, cantatio, vehemens vomitus, arctiores pectoris thoraces, congestiones ad uterum, debilitas universalis, aetas et tenerrima et longe provecta.

Sequelae.

Partus immaturus, si totum ovum vel tota placenta soluta est. In solutione partiali debilitans sanguinis profluvium et dispositio causis exiguis suppetentibus ad ampliorem vel totius ovi vel totius placentae solutionem. Si solutio partialis consecuta est, ovum potest justum finem graviditatis adipisci, verum nova cum utero conjunctio non existit, et plerumque leucorrhoea remanet, quae matri vel infantulo saepe est perniciosa.

Signa et discrimina mensium redeuntium.

Metrorrhagia sine causa solet temporibus incertis oboriri, id quod in mensibus redeuntibus locum non habet.

Nec fluit solum sanguis fluidus, sed etiam coagulata frustula sanguinea eduntur.

Quamdiu dolor non supervenit nec os uterinum se aperit, spes subest fore, ut partus immaturus prohibeatur; sed simul ac dolor periodicus ingruit, atque os uterinum aperitur, partus immaturus evitari nequit, quem tantum abest, ut oporteat nos impedire, ut admaturare debeamus. Haec metrorrhagia etiam ex causis levioribus hoc tempore lubentissime exoritur, quo menses prius fluebant, nempe in sic dicta menstrua congestione; tum etiam isto tempore, quo mulieres prius abortum fecerant.

Cura. Quies magna, horizontalis situs, rejectio omnium momentorum causalium, quae possint persistere, velut pressionis vestimentorum; repositio uteri inversi, venaesectiones in congestionibus, remotio pedisariorum, sedatio animi affectuum, temperies mitis et epithemata frigida, vel in metrorrhagiis levioribus. Nocent injectiones; tamponatio summam requirit cautionem, quippe partum immaturum accelerat neque retardat.

Interne. Acida mineralia, vitatio omnium et ciborum et potuum calefacientium. Cura per quatuor vel quinque dies continuatur. Sic partus immaturus praepediri potest, sed non est obliviscendum, dispositionem ad ampliorem vel repetitam ovi solutionem residere, quam ob rem commendetur diuturna quies, per menses complures continua, coitus evitatio, sicuti omnium corporis motuum et contentionum, pressionis in abdomen; omnino autem placidissimus et physicus et psychicus morum habitus. Sed ubi os uterinum sese aperire incipit, abortum vel partum immaturum potius accelerare nos opportet, quam retardare, porrigantur in vehementibus sanguinis profluviis Tinct.

cinnamomi (ʒjj in ʒvj aquae); frices uterum manu plana, et simulac dolores ingruunt Sec. corn. pulv. gr. XII — XV administrentur; itaque dosibus majoribus quam in partu foetus maturi, ubi adynamia adest, quoniam vitae foetus hic non est timendum.

Ubi ovum solutum in vaginam illabitur, aut potest extrudi, aut si hoc non fit, digitis ex vagina extrahatur.

Mulieres gravidae plerumque celerrime reficiuntur, verumtamen quies sexualis valde est commendanda, quia dispositio quaedam ad ovi solutionem in graviditate insequente restat.

Narrantur casus, ubi solutum, in utero relictum ovum in putredinem abierit, resorptumque febrem putridam genuerit.

D'Outrepont hanc rem fieri posse existimat, quocirca quam maxime necessarium putat, simulac os uterinum apertum inveniatur, secale cornutum dari, et ubi nihilo secius ovum solutum non exeat, injectiones chloricas in uterum per tubulum uterinum fieri.

2) Causa metrorrhagiae altera sunt molae.

Molae non semper facili negotio dignoscuntur; attamen conjiciuntur ex causis hisce: uterus prius scandit ex pelvi minore in majorem, nec ita durescit; portio vaginalis celerius mollescit, citiusque ascendit in altum.

Phaenomena consensualia solent graviora esse, tum vero sanguinis effluvia, cum fluore albo alternantia, tempore incerto sine causis existunt.

Quae sanguinis jactura mulieres valde infirmas reddit.

Molae raro diutius, quam quatuor menses gestantur, nisi praesente bene conformato ovo juxta molam. In

discessu, qui nonnisi vehementibus consequitur doloribus, semper sanguinis profluvium obtinet, quippe quum mola firmius cum utero cohaereat, quam ovum bene conformatum, ideoque partiatim ac tardius sejungatur. Inquirentes raro invenimus vesicam, sed ovum tangitur asperum atque inaequale. Molam raro accipimus totam et plerumque in particulas dilaceratam, quapropter non ubique eam licet ab regulari, sed lacerato ovo discernere. Prognosis infausta, quia plus effunditur sanguinis quam in abortu, partus longius urat ac mola magis partiatim abit.

Cura. Quando sanguinis effusio magna est, gelida epithemata et interne Tinct. cinnamomi administrentur; at sanguinis profluvio minore, et mola aut per partes aut tarde abeunte, secal. corn. gr. x—xv hora quaque ordines.

c) Causa tertia. Sanguinis profluvia ex scirrho et carcinomate in portione vaginali gravidarum. Haec facile inquirendo dignoscuntur, valde debilitant, saepenumero, quod laetum putandum, partum immaturum adducunt, qui numquam non optandus neque retardandus est.

Cura. Quies, epithemata frigida, tamponatio adhibenda.

d) Causa quarta, ex diruptis varicibus in ore uterino proficiscens, rarissima est, modo evenire potest post coïtum, gestandis pedisariis, vehementibus corporis motibus.

Cura. Tamponatio, aut mera spongiae in aquam frigidam immersae inductio in vaginam.

e) Causa quinta. Sanguinis profluvia praesente polypo juxta ovum, de qua re plerique dubitant obstetricatores; nec potest dignosci nisi polypum jam in vagina

inveniamus; vix potest fieri, ut graviditatem juxta polypum cognoscas.

II. Metrorrhagia in partu.

De sanguinis fluxu intra partum, prominente aut soluta placenta jam diximus satis superque. Verum aliae quoque existunt causae haemorrhagiarum intra partum. Quo pertinent:

a. Diruptio orificii uterini rigiditate singulari praediti. Qui casus facile dignoscendus; femina doloribus ad partum vehementer cruciatur, tum accedit sanguinis fluxus, et explorando ruptionem uteri reperimus. Accidit haec in adynamia vis naturalis parturiendi, et porrectis dosibus secalis cornuti majoribus. Aetate superiore per artem praeposteram eadem efficiebatur, cum os uterinum transverse situm non sine vi in pelvim mediam dirigere vellent.

Ubi ruptura non est ampla, haemorrhagia mox desinit, et partus tamen paulo post procedit. At ruptio potest amplificari et sequelae oriuntur ruptionis uteri, de qua re paulo post disseremus.

b) Ruptae varices in uteri orificio, raro quidem effectae exploratione temeraria, hyperdynamia vis naturalis parturiendi, dosibus secalis cornuti majoribus, prima et secunda partus periodo administratis; in illa operatione, quam dicunt Accouchement forcé.

Cura. Celeris absolutio partus per versionem et extractionem, tamponationem, si quidem sanguinis fluxus non cesset.

c) Ruptio uteri in partu. Metuenda arctiore pelvis introitu, situ transverso, ubi versio negligitur, ore uterino concreto, consumtis doloribus in prima secundaque partus

periodo, magna mulieris inquiete, majoribus secalis cornuti dosibus, in prima secundaque partus periodo datis. Acciderit, sed raro in scirrho vel carcinomate oris uterini. Symptomata. Auditur vehemens fragor, feminae vehementissimum patiuntur dolorem, qui repente desinit; foetus per ruptionem aut totus aut partialis in cavum abdominis cadit.

Interna perscrutatione nullam reperimus partem prominentem; tum nota indicia haemorrhagiae internae apparent.

Prognosis infaustissima, ubique fere lethalis.

Indicatio. Laparotomia, si quidem parturiens non prorsus debilitata est, tum modo prospere succedit, quando placenta una cum foetu in cavitatem abdominis cecidit, et uterus statim sese contraxit.

III. Metrorrhagia post partum.

De metrorrhagia cum placentae retardatione jam egimus.

Metrorrhagia toto ovo ejecto exspectanda est:

a) in quoque partu celeri,
b) in insigni uteri extensione per geminos, trigeminos, nimiam amnii copiam,
c) in pelvi ampliore,
d) in puerperis vehementer tumultuantibus,
e) in partubus ob res perniciosas arte finitis,
f) in affectibus animi deprimentibus.

Causa proxima: Inopia contractionum uteri.

Indicatio: Efficiantur uteri contractiones per epithemata frigida, quibus carere non possumus, per injectiones frigidas in uterum, per interioris superficiei uteri frictionem manu compressa, per saccum arena impletum, per pressionem in aortam descendentem, per frigidas superfusiones, vel illum frigidae aquae usum, quem vocamus Douche, per conspersionem abdominis spiritu et spirituosis.

Nonnisi epithemata sunt suadenda, frigidae injectiones haud raro paralysin, vel etiam inflammationem interioris superficiei uteri, facile male exeuntem, provocant. — Frigida epithemata earum locum obtinent, ac raro inflammationem commovent, praesertim si cum siccis epithematis frigidis et tum cum tepidis epithematis siccis commutantur. — Frictio per manum compressam non nisi in casibus desperatis admittitur.

Injectiones et gelida ista Douche systema nervorum usque ad paralysin concutiunt. — Pressio in aortam descendentem eo solum efficax est, quod uterus ad se contrahendum movetur. — Tamponationi nos non oportet confidere.

Remedia interna: Acida mineralia, quamdiu pulsus nondum plane prostratus est, neque animi adsunt deliquia; acidum sulphuricum dilutum (℥ß — ℥jv cum aliquantulo syrupi). In syncopis, frigore, pallore, pulsu tenui ante omnia remedia tinctura Cinnamomi. Debemus religiose remedia certissima ordinare, quia periculum in mora. Remedia antehac impensa, veluti alumen et seri injectiones, secale cornutum, ferrum, ratanhia, cortex salicis, quercus, cimarubae, colombo, ulmi campestris, folia rosarum: haec

omnia tardius agunt, et aptiora sunt chronicis uteri haemorrhagiis.

Tanninum nunc magnopere celebratur, verum tardior ejus est vis, ut ex tempore periculum avertas. Quibus remediis nil valentibus, duobus digitis vel tota manu explorans, in utero placentam reperies succenturiatam aut particulam placentae retentae, molam exiguam, vel etiam frustula sanguinis coagulati, quas res tota manu removeas.

Tum solum, si uterus paralysi est affectus, conamina nostra irrita sunt; ceterum autem haemorrhagia uteri post partum minus periculosus est morbus, facillimus ad tractandum.

Multum autem valet diaetetica cura posterior, quandoquidem metrorrhagia post partum facillime fit recidiva, quam ob rem vel levissima corporis motio vitanda, decem ad duodecim dies lectulus non restaurandus, omnia calida et calefacientia potulenta et cibi vetari debent; aër semper purgandus et frigidus servandus, animi tranquillitas, omnis strepitus odorumque fortiorum remotio exiguntur; tum medicina detur ratanhia, et feminis vino cerevisiaeque assuefactis vinum rubrum. Postea ruri degant, in regionibus calidioris temperiei, in montibus, ac praecipue utantur balneis ferreis, et diutius a coïtu abstineant.

VITA.

Natus sum Carolus Fridericus Walz, Carolsruhensis, die XII mensis Octobris MDCCCXX, patre C. F. Walz, consiliario intimo, et matre Julia e gente Weinbrenner, quos summa Dei erga me benignitate adhuc superstites veneror. Fidem sequor evangelicam. Septimum aetatis annum agens in lyceum urbis patriae, quod tunc Directore Th. Zandt florebat, receptus sum. Per duodecim annos hanc scholam frequentavi, quo in tempore dira mors Directorem abripuit, cujus praestantiae posteri nunquam immemores erunt.

Ab illo tempore Ernestus Kärcher insigni munere Directoris fungens, eximia et doctrina et virtute instructus, meum amorem et studium antiquitatis cognoscendae et literarum excolendarum aluit.

Testimonio maturitatis rite munitus, mense Octobri anni MDCCCXXXIX almam adii litterarum universitatem Fridericam Guilelmiam Rhenanam, ibique a rectore t. t. magnifico Goldfuss in civium academicorum numerum receptus, nomen dedi apud decanum t. t. gratiosae facultatis medicae spectatissimum Kilian.

Hasce audivi praelectiones:

De physice experimentali Ill. Pluecker; de Plinii libro vigesimo nono Ill. Harless; de encyclopaedia et methodologia medicinae Ill. Naumann; de anatomia generali et speciali Ill. Mayer et Weber.

Hieme praeterlapsa me Berolinum contuli, ubi a rectore t. t. magnifico Lichtenstein in numerum civium academicorum receptus, apud Beat. Ill. Osann, t. t. decanum spectatissimum, nomen professus sum.

Interfui scholis naturae de scientiis Ill. Mitscherlich, Lichtenstein, Kunth, Weiss; de physiologia et anatomia comparativa Ill. Mueller; de materia medica Cel. Mitscherlich; de pathologia speciali Ill. Casper; de infusoriis Ill. Ehrenberg.

Tum redii Bonnam et hasce scholas frequentavi:

De pathologia generali, balneologia, morbis mentis Ill. Naumann; de therapia generali et speciali Ill. Nasse; de chirurgia Ill. Wutzer; de arte obstetricia, de morbis infantum, medicina forensi Ill. Kilian.

Duces mihi fuere in cadaveribus secandis Ill. Mayer et Weber, Wutzer in clinico chirurgico, Kilian in operationibus in phantomate instituendis et in clinico obstetricio, Nasse in clinico propaedeutico, clinico et in policlinico medico. Qui idem pro summa erga me benevolentia per annum mihi munus assistentis in clinico medico tradidit. Si quid in literis profecerim et tempore sequente proficiam, hoc illi debeo, quare Deus optimus singularem erga eum amorem in meo pectore intimo conservet.

Iterum petii Berolinum et a magnifico rectore de Raumer, ac spectabili decano Mueller receptus sum.

Audivi Ill. Hecker de historia medicinae. Interfui praeterea per aestatem pluribus repetitoriis.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias quam maximas ago et semper habebo.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, et examine rigoroso coram gratiosa facultate medica Berolinensi rite absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus rite defensis, summi honores in me conferantur.

THESES.

1. Typhus est exanthema.
2. In operationibus obstetriciis si vita matris magno periculo exposita est, infans delendus est.
3. Urina in corpore sano nunquam alcalina.
4. Quo major medicamentorum copia in morbum quendam, eo difficilior ejus medela.
5. Hypochondriam absque materie non agnosco.
6. Rhonchus crepitans non signum pneumoniae.